

Q. K.
361,
8.

1210

memorabilia numeri septenarii

Q. D. B. V.

ORATIONIS VALEDICTORIÆ

II h
1068

De

NUMERO SEPTENARIO

Ut

Omnes Musarum Patroni ac Fautores

in

Scholæ Acroaterio majori

Hor. I. pomerid. a. d. X. Kl. Junij

sint

AUDITORES,

submisse, officiose ac peramanter rogat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,

Rector.



ALTENBURGI,

Typis GOTHOFREDI RICHTERI, Typogr.

Ducalis Saxo-Altenburgici.

X 186 2261




M. P. ...
...

OPHTHALMIA YALMEDICATORIA
M. P. ...

Omnes ...
Scholis ...

M. P. ...





L. C.

ἑν πρῶτῳ!



Uo in numero *Numerus* olim fuerit habitus, sapientum edocent monumenta, Pythagoras, Philosophorum princeps, ejusdem ætatis cum ultimo Romanorum Rege, Tarquinio Superbo, non, ut quidam volunt, Numa Pompilio, tanti æstimabat numerum, ut coeli terræque originem, fidem item conversiones ortusque animalium eidem vendicare nullus dubitaverit: quid? quod ulterius tendens Deum numerorum numerum salutavit, ut *Hierocles Philosophus in egregio ad aurea Pythagoræ carmina commentario* testatur. Sic & statuit, numerorum qui destituatur scientia, ad perfectæ omnibusq; numeris absolutæ eruditionis culmen vix, ac ne vix quidem posse adspirare. In hac autem Pythagoræ sententia quid desideretur, accuratè, ut solet, exponit *Stagirita L. XIV. Metaph. c. 3. 4. 5. 6.* Samii illius Philosophi vestigia presso legit pede *Μωσῆς Ἀριθμητικῶν*, ut à *Numenio* vocatur, Plato; Hic enim mundi animam numeris constare, nullamq; artem, scientiam remq; publicam, absq; numeris si esset, posse consistere, multis in *Epinomide* aliisque scriptis ostendit. Quin & eo numerum maiavit honore Plato, ut propter eum sapientiam fidemq; homini adscripserit; Nam interrogatus, cur homo animal sit omnium sapientissimum, & cur eidem majorem, quàm reliquis animantibus, adhibeamus fidem, scite respondit: ὅτι ἀριθμητικῶν ἐπιστάτης, quia novit numerare. Atq; hac numeri præstantia alle-
ctus

Etus totam fere Philosophiæ rationem ad numeros traxit, istoq;
modo non tenues scriptis suis affudit nebulas, Ciceronis tempo-
rejam tum ob id reprehensus, ut adagium *numero Platonis obscu-
rius à Tullio l. VII. ad Att. Ep. 13. usurpatum luculentam facit fi-
dem. Platonem secuti sunt Themistius, Boëtius, Averroes,
Avenzoar Babylonius, reconditæ vir doctrinæ, cujus circum-
fertur dictum sequentis tenoris: Scire omnia & nosse exactius eum,
qui numerorum tenet scientiam. Eandem calcat viam Aurelius Ma-
crobius, vir consularis, qui in eruditissimis ad l. I. somn. Sci-
pion. notis p. 53. ed. Paris. tantam numeris assignat faculta-
tem, ut animæ corporibus eorum beneficio jungantur separen-
turve: Constat, inquit, numerorum certam constitutamq; rationem ani-
mas sociare corporibus: hi numeri dum supersunt, perseverat corpus
animari; Cum vero deficiunt, mox arcana illa vis solvitur, quâ societas
ipsa constabat. Verum enim verò num tanta, quæ fingitur, nume-
rorum sit efficacia, meritò dubitatur. Quia enim quantitatis
secundum tritum Philosophorum effatum nulla est efficacia,
nec aliqua erit numerorum. Conf. Galeottum l. de doctrinâ
promisc. c. 23. Ejusmodi autem vim si ulli tribuerunt numero
veteres, septenario sane adjudicarunt, pro ut adducta ejus ori-
gine, nominib; & significatione mox demonstrabo. Ortus tri-
plex occurrit observandus: Nam septenarius vel componi-
tur ex *unitate*, quæ numerorum omnium fons salutatur atque
principium, & *senario*, qui verbis D. Augustini l. XI. de C. D. c. 30.
suis completur partibus: vel constat ex *binario*, cui incredibiles
adscribit vires Macrobius l. c. & *quinario*, qui Justitiæ olim ve-
niebat nomine: aut deniq; ex *ternario*, qui sacer appellatus, &
quaternario, quem Pythagoras in carminibus *παραν ἀεννάξ Φύσεως*,
fontem perennis nature vocat. Nomina quod concernit, quibus
septenarius insignitur, *Αθηνά* dicitur, i. e. *Minerva*, vel quia sicut
hæc ex Jovis capite sine matris utero procreata memoratur, ita
&*

& septenarius, quem monas caput numerorum ad senarium
 sapientem convenientemque suis partib⁹ accedens creat, ut lo-
 quitur *Eulogius in l. I. somn. Scipion.* vel quod Minervæ feratur sacer,
 quanquam Apollini dicatū fuisse velit *Plutarch. qu. Conviv. L. IX.*
qu. 3. & in comm. de EI inscripto foribus templi Delphici. Et ob ean-
 dem, quam allegavi, rationem Pythagorei cum appellitabant
 ἀμύτορα, & παρθένον. Præterea & τελεσφόρος, ἀγελεῖα, σεπτῆ, τύχη,
 καιρός, ζωογόνος & à Cicer. plenus ac rerum omnium nodus voca-
 batur. Vid. Joh. Meursii notæ in Chalcidii comment. super Plato-
 nis Timæum. Ad significationem porro quod spectat, nume-
 rus septenarius perfectionem sæpiuscule denotat, ut videre est
 Psalm. XII. 7. *argentum septies purgatum*, i. e. perfectè, & ut
Euthymius explicat, donec omne, quod in eo terreni erat, igne est ab-
 stersum. Eodem etiam modo accipitur in trito isto proverbio:
septima decoctionis saccharum, quod de re debitâ gaudente per-
 fectione adhibetur, observante *Gilberto Cognato adag. 986.* Hujus
 autem significati causa non una datur. Pleriq[;] compositioni
 septenarii tribuunt, quæ ex unitate fit & senario l. ex ternario,
 & quaternario. Alii, quod septenarius omnes contineat con-
 sonantias; in uno enim, duobus & quatuor *ἴς διαπασῶν* harmo-
 nia est. Plures alias ex *Anton. Ludovico l. V. Probl. sect. I.*
probl. I. recenset *Fabritius Paduanus*, Philosophus & Medicus
 Foroliviensis in *Catenâ Temporis, ann. 31.* Porro numerus septe-
 narius in sacris & profanis literis multitudinis est indicium. Ex
 sacris, in quibus annotante *Chrysostr.* act. in Judæos V. *septenarius*
infinitæ multitudinis signum habet, cito Levit. XXVI. 18. *Septies*
corripiam peccata vestra. Psalm. CXIX. 164. *laudo te se-*
pties. Prov. XXVI. 25. *ne credideris ei, quoniam in corde ejus septem*
sunt abominationes. Luc. VIII. 2. *ex Maria Magdalena septem ejecta*
erant demonia. Conf. Eccl. XI. 2. Es. IV. 1. Matth. XII. 45.
 Rom. XI. 4. Eodem sensu in profanis reperitur scriptoribus;
 sic *Virgilius* IV. Georg. 507. seqv. canit:

septem

*Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria diserti ad Strymonis undam
Flevisse.*

&I. Aen. 98. exprimens Homericum illud: τῆς μάχης δαυαοῦ
καὶ τετραχίς: ô terq; quaterq; beati,
 Queis ante ora patrum Trojæ sub moenibus altis
 Contigit oppetere,

De modo etiam, quo numerus septenarius olim indicatus, pauca sunt dicenda. Variis manuum gestibus numeros quondam fuisse significatos ex *Coel. Rhodigino* l. XXIII, *Lect. Ant.* c. 12. aliisq; patet. Septenarii igitur indicium erat digitus auricularis manus sinistrae ad radicem palmae incurvatus, medio annularem paulo attingente & reliquis elevatis, cujusmodi figuram exhibet *Joh. Pierius Valerianus* in admirando Hieroglyph. opere l. XXXVII. c. 1. f. 384. ubi & alium septenarii olim demonstrati adducit modum. Lineam sc. pingebant Veteres, quæ à parte sinistra assurgens superne ad dextram paululum tendebat. Sed longius provehor, quàm institueram. Redeo itaq; , unde eram digressus, ad miram septenarii efficaciam. Eam autem in sacris sæpissime exeruit. Ex multis adduco *septimum* hebdomadis diem Deo consecratum, *septem* Noæ præcepta, *septimumq;* annum, qui iudicio *Cunæi* l. 1. de Rep. Ebr. c. 4. Judæos in magnas redegit angustias: In civilibus quid *septem* valeant testes, nulli non constat; quid item ad rerum publ. conferat mutationem septenarius, exemplo Carthaginis & Romæ liquet. Sic & ante *septennium* sponsalia non posse contrahi, docetur de despons. impub. c. ad dissolvendum. Nec suam in rebus naturalibus amisit efficaciam septenarius. Adest enim in animalium ortu, incremento ac decremento. Et quis ejusdem in morbis non experitur vim? *Septimus* enim dies, qui *Galeno* l. 1. de diebus

bus decretorius, dies criticus primæ notæ audit, & septimus quisq;
annus, qui à frangendis viribus *ἀνδραγαθὸς* dictus, vitæ non parùm
adferunt detrimenti, ut multis probatum dederunt exemplis
Ill. *Rantzovius*, Cl. *Salmasius de annis Climactericis* aliq;. Sed for-
sitán desideras, L. B. ejus rei exempla? En! domesticum pro-
feram, quod optimus Juventutis Princeps, splendidum Do-
mus Saxonicæ decus, ingens provinciarum tutamen & subdi-
torum delitium, Serenissimus ac Celsissimus Princeps ac Domi-
nus, Dominus FRIDERICUS WILHELMUS, Dux Saxo-
niæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Comes provincialis Thurin-
giæ, limitaneus Misniæ & principali dignitate Hennebergæ,
Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dynasta Ravensteinii, Prin-
ceps ac Dominus noster quondam clementissimus, memoriæ
felicissimæ, suppeditat. Princeps enim incomparabilis vitales
hauserat auras *septimo* & quinquagesimo hujus seculi anno, ejus-
que mense *septimo*, Julio. *Septimo* ætatis anno gravissimo confi-
ctabatur morbo: & tandem secundo & *septuagesimo* post C. N.
anno, ætatis vero bis *septimo*, mensisq; Aprilis die bis *septimo*,
relictó sui desiderio sat acerbo, naturæ debitum reddidit, & in
numerum *septem* millium receptus *septies* laudat Deum. Plura,
quibus in numerus septenarius observatur, nunc non addo,
sed avidum lectorem adire velim *Philon. de opif. mundi* & l. 1.
de allegoriis legis. *Macrob. l. c.* *Gellium l. III. N. A. c. 10. cum not.*
Phil. Caroli Censorin. de die natali c. 10. *Clement. Alexandr. l. VI.*
Strom. *Pighium in Herc. Prod.* *Wolffium in somn. Scipion.* *Bodinum*
Theatr. nat. Coel. Rhodig. l. XXII. L. A. c. 12. *Joh. Pierium Hier.*
l. XLVII. c. 24. *Fabrit. Paduan. l. c.* *Meurs. l. de denar. Pythag. c. 9. &*
Leonh. Wurffbain in eleg. tractatu de Numero septenario ed. No-
rimbergæ 1633. Quod si verò ob negotiorum multitudinem ali-
asq; remoras allegatos auctores consulere non liceat, en! *Musa-*
getæ optimi, nostrum, si volupe est, accedite *Athenæum*
Hic

2474 1068
Hic enim, quæ multo labore temporisq; impendio in iisdem
quæritis, in compendium redacta omnia invenietis in Oratio-
ne ornata, quam de *Numeri septenarii nominibus, applicatione & my-
steriis* Juvenis à pietate, industria moribusq; ingenuis commen-
dandus

CHRISTIANUS Härtel /

Viri Integerrimi ac Prudentissimi Dn. CASPARIS Härtels / Se-
natoris & Aerarii Ecclesiastici Præfecti hîc locorû bene meritû
filius natus minor, felici successu conscripsit, & hora I. pomerid.
diei crastini ex promptâ memoria habere secum constituit.
Accedite itaq; literarum Patroni Fautoresque hora designata,
& Juvenem de *Numero septenario* perorantem honorificâ vestra
præsentia audiendiq; benevolentia maectate: pro quo officio
non me solum gratum experiemini nomen, sed & ipsum Här-
telium in cathedrâ Scholastica tertia & ultima vice declaman-
tem in gratiis Vobis reponendis effusum videbitis occupatum-
que; In vale siquidem ultimo, quod dilectam patriam relicturus
dicet, animum Vobis omnibus offeret devinctum & dona, nu-
merum quæ redolent *septenarium*. Hoc facto duo consurgent *εὐφρο-
νίστοι* Juvenes

HEINRICUS AUGUSTUS Förster / Co-
burgensis Francus,


&

JOHANNES Müller / Muhlâ-Variscus,

quorum ille latino, hic Germano sermone metris adstricto in
abituri sinum bona effundent vota. Valete, Viri optimi, remq;
nostram scholasticam vestro favore & accessu promovete. P. P
Altenburgi A. C. cl. l. c. LXXII. XI. Kl. Junl.

F I N I S.

1077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

